

enata est πολυθεοτης veterum Ethnicorum, qui quamvis multos inferiores crederent esse Deos, unicum tamen eorum patrem agnoscebant.

§. 6. Quando autem S. Scriptura nobis Deum ut *trinunum* exhibet, lubenter confitemur, quod, quamvis rationi haut repugnet Trinitatis mysterium, illa tamen citra revelationem ad hujus cognitionem nullo modo pertingere possit. Sunt tamen inter eruditos haut pauci, qui hoc Trinitatis mysterium ex naturali ratione satis probabile reddere volunt, proindeque idem & ab ipsis gentiliis Philosophis creditum esse arbitrantur. Eam in finem allegare solent partim *Mercurium Trismegistum*, qui expresse mentionem facit Trinitatis, partim *Platonem*, qui in divinitate tres hypostases admittit. At vero a dictis scriptoribus nil minus quam Trinitatem stabiliri vel inde patet, quod scripta sub *Mercurii* nomine exstantia ab eruditis supposititia habeantur, quodque *Plato* traditionibus nimium confidens saepe scripserit ea, quæ ipse haut intellexerit.

§. 7. Argumenta, unde ex naturali ratione Trinitatem nonnulli probare satagunt, a variis varia allegantur,

I. *Keckermannus, Mornæus &c.* hac utuntur demonstratione, quod, cum in homine reperiatur *intellectus, voluntas & memoria*, iste vero ad Dei similitudinem sit conditus, facile intelligatur, etiam in Deo tres diversos modos dari, qui Deum nobis ut *trinunum* exhibeant.

II. *Dn. Grew. in Cosmol. Sacra* ita argumentatur: